

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ  
ΑΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΤΩΝ  
ΔΕΥΤΕΡΟΝ

CAPVT I

*Summa capitis docere videtur, qualis educatio atque institutio ad vitam recte et cum virtute degendam requiratur. In exemplo ponitur Aristippus; quem voluptati et intemperantiae deditum ut ad rectam reducat viam Socrates, interrogando elicit, puerum, ut aliquando reipublicae recte administrandae sit idoneus, educandum esse ita, ut famem, sitim, vigiliam, labores perferat, a venere abstineat, discatque rem militarem. Talem enim hominem minus capi ab hostibus et decipi, quam bestias, escae, potus, rei venereae cupiditate deceptas. Turpe igitur esse, si veluti moechi, ritu bestiarum, a libidine incitanti maximum vitae salutisque periculum adeant; aut si quis frigus aestumque ferre nequeat, cum plurimae eaeque maxime necessariae res sub dio sint agendae. Aristippus igitur interrogatus ad utrum hominum genus se referri velit, eorum qui ob continentiam sint digni reip. administratione, an eorum, qui ob inertiam intemperantiamque a rep. sint arcendi, respondet, sibi placere vitam commodam et iucundam et displicere molestam magistratum gerentium. Cum vero Socrates docuisset, imperantes commodius viuere quam qui alterius imperio pareant: Aristippus negat, se velle seruitutem, sed libertatem; et coactus concedere, ciues vi cogi ad parendum, negat, se vlli ciuitati addictum esse velle. At Socrates ostendit, peregrinum ubique esse, minus tutum esse, et ne seruum quidem probari intemperantem, sed vi coërceri. Tandem Aristippo obiicienti, vitam eiusmodi regiam, quam quis vltro subeat, non differre a conditione misera serui, qui ab aliis cogatur, duriter, parce et continenter viuere, respondet Philosophus, esse permagnum discrimen, nam et ita libertatem relinquere, et spem adesse summorum bonorum.*

norum.